



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 193. Dicentes: crucifige, cucifige eum. v. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

O Pilate, si tu non cogitasses & dixisses antea quod eum velles emendare & si tu eum postea peius non composuisses cum Barabba latrone, (& sic illaqueare, vt tenereris ex tua hypothese eum perdere, si ipsi Barabam peterent) & sic cœpisses à tramite iustitiæ deflectere ad occupandum vel tenendum fauorem Iudæorum insipientium, forte Deus te custodiret ab vltiori ruina; in qua nunc incipis necessitate morali vltius labi. Videte mortales, ne fenestram primis lapsibus aperiat: si incipitis, finis cadendi per vos esse non poterit, vt nec Pilato vestro speculo finis cadendi fuit, antequam homicida imo Deicida est factus.

§. 192. At illi succlamabant. v. 21.

Sic fit, quando rector populi, vel Dominus seruis, vel pater filiis passionis & malis incipit condescendere; tunc continuo illi audacius progrediuntur in peius. Antea clamabant: nunc succlamant; incuruantes se, & toto nisu ventris vocem intendentes ad insultandum Pilato, vt iurdastrò quasi dicerent: alte clamamus, ignosce, videris obsurduisse, videris munera spectare ab eo cui ita studes &c.

Sed obsecro, nullus hic vir, qui se opponat Iudæis? qui persuadeat, vt non eligant exitium, sed salutem, vitam beatam & filium Dei, non vero mortem & filium diaboli! si nullus se præsentet; surge & curre anima mea in occursum Domini tui, sollicita populum: vt tot beneficiorum memor, à Christo acceptorum illum eligat. Concurrant infirmi, surdi, muti, cæci, claudi, leprosi, omnes ab ipso sanati; famelici palti in deserto: mortui resuscitati; à dæmonibus liberati, & quotquot adhuc hisce malis laborant; conclament omnes, dimitte nobis IESUM, quia medicus & medicina, Saluator & salus, Pastor & Pater noster est: ipse est vita nostra; forte horum verba obruent clamores, iniquorum & præualebunt postulatis illis iniustis.

§. 193. Dicentes: crucifige, crucifige eum. v. 21.

O Confirmatio maligna! repetitio peruersa: dissecabantur enī eordibus Iudæi, quod veller Iesum dimittere Pilatus: vnde magis magisque attollentes vocem clamabant suum illud *crucifige crucifige*. Quasi dicerent: Quid tergiversaris? quid necis moras? matura, prope nefarium hunc supplicio addicito, condemna, in crucem sustollatur. O crudelitas inaudita! ô barbaries incredibilis! O Principum & Seniorum obstinara malevolentia! & odij rabies in Christum efferata! ô vulgi leuitas & incon-

R 3

stanti

stantia: quæ quinto ab hinc die lætissimis verbis cantu, etiam actionibus
eodem exceperat: nunc diris vociferationibus ad crucem efflagitat: motu
crucis quæ Barabbæ debebatur ut latroni: ex legibus Romanis, ut homici-
dæ, ex instituto Iudæorum in Christum innocentem transfereatur, & non
attenditur quo iure?

NUnquam digne mortales deprædicare poterunt: quod tu ò Pater æ-
terne, tu spiritus sancte Deus, Tu ò Saluator fili Dei, nos, quos Barab-
bas referebat, scelestos ac facinerosos præferri sinteritis vitæ diuissimæ,
honori ac saluti sanctissimæ humanitatis Dñi N. Iesu Christi in æternum
erit hoc admirationi omnibus saluatis.

§. 194. *Ille autem tertio dixit ad illos. v. 22.*

Desiderabat adhuc Pilatus illis adeo effreni modo clamantibus,
Dominum è manibus illorum liberare, si non tanquam iustum & ius-
tum, saltem tanquam iniquum & iniustum. Vnde cum iam omnem lap-
idem mouisset: tam refellendo argumenta ipsorum in genere, quam &
accusationes in specie: adducendo etiam Authoritatem Herodis & testi-
monium; & sui ipsius examinationem rigidissimam, & in omnibus, in quibus
eum accusabant inuentam innocentiam, quod a tot alijs quoque iu-
dicibus examinatus à nullo iudice esset damnatus omnes potius eius iu-
dices, siue prophani, siue sacri innocentiam eius testes essent obstupescens
peruicaciam clamantium ministrorum & ciuium à Pontificibus peruerso-
rum, incipit cum eis disputare, ut æqualis, qui erat eorum superior. Et hic
est tertius gradus descensus Pilati ad iniquitatem, nempe ex iudice fieri
sodalem & consultorem iudicij fieri, qui erat accusator.

O Deus serua omnes Iudices, Magistratus & potentes ne in tales pellic-
as incidant, in quas se miser ille Pilatus sensim inuoluit.

§. 195. *Quid enim mali fecit. v. 2.*

Attendamus gnauiter, quid iam tandem pressi dicant accusatores
Christi? Ego nihil audio, si quis audit aliquis, dicat: sed neque Euangeli-
stæ aliquid audierunt; & ideo nihil scripserunt. Ecce sic confusi, & Prin-
ceps & populus tacent. Nesciant enim quid Pilato respondere possint.
Vnum volunt, cuius rationem dare non possunt, volunt enim mortem Ie-
su: causam mortis nesciunt. Quid autem hoc est? estne hoc humanum? ne-
quaquam, est insanientium, est obsessorum à dæmonio: sed hæc permittit
Deus pro isto die & hora, ut exiret de diaboli potestate humanum genus
sine vltiore mora.

O di-